

Dissertatio medica inauguralis, de peripneumonia notha ... / [William Gifford].

Contributors

Gifford, William.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Hamilton, Balfour, et Neill, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wdrq5dut>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA NOTHA :

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto ;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GIFFORD, ANGLUS.

Ad diem 3 Maii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.

M,DCC,LII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30783343>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PERIPNEUMONIA NOTHA.

CUM pituita lenta, arteriae pulmonalis angustis, comitante obscuriori febre, ita inhaeret, ut itinera per pulmones sanguini occludantur, tunc homines Peripneumonia notha correpti dicuntur.

SANGUIS duplici glutinosa diathesi male se habet; quarum una ex valida vasorum vi, nimiaque humorum velocitate exorta, appellatur qualitas glutinosa et inflammata; hoc sanguine pulmonibus obstructis, homines vera Peripneumonia aegrotant et affliguntur: proficiscitur vero altera ex viribus vasorum deficientibus, et sanguine languido flumine labente: lento illo humore redundante, nascitur Peripneumonia notha; de qua paucis differendum est.

IN Peripneumoniam notham imbecilliores circa hyemis finem, vel veris initium, incurrere solent: dicit enim Sydenhamus, “ hyeme ingruente, at saepius sub ejus exi-

“tum, quotannis emergere febrim symptomatis peripneumonicis haud paucis conspicuam.” Dum perferimus hiemalem vim, durioribus vescimur cibis, et otio diffuentes torpescimus, frigidus lentusque humor congestus fines arteriarum onerat, qui calore veris ineuntis commovetur: idcirco Galenus vim veris exercitationibus assimilavit, quae ad homines, quibus corpora bene sunt constituta, optimoque habitu praedita, fospites conservandos maxime profunt; cacochymici autem atque plethorici adversa valetudine inde afficiuntur. Humor glutinosus verno tepore aliquanto solutus permanat per venas ad dextrum cordis ventriculum; a corde autem in pulmonem distributus per arterias admodum multas in omnes pulmonum partes pertinentes, vias sanguini claudit, et pulmones ita obturat, ut difficulter atque aegre ad sua munera exsequenda nunc dilatent se, nunc contrahant. Sanguis enim per cor dextrum illapsus in magnam pulmonum arteriam, per angustissimos ramos in venas permanat, perque eas ad sinistrum cordis ventriculum confluit: itaque et pituita in angustis inhaerescit, et pulmones suspiriose incipiunt laborare.

COELUM varians, stomachus cibus confertus, chylus ex glutinosis esculentis et potulentis confectus, calor, animi affectus, et post inertissimum et desidiosissimum otium ingens pulmonum et musculorum exercitatio, merito recensentur

fentur inter illa, ex quibus Peripneumonia notha nascitur et proficiscitur.

IN alia coeli intemperie procliviores sunt homines ad alium morbum; omnes enim tempestatum varietates, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possumus. Cum nubilosum et caliginosum coelum nobis obducitur, vaporem madidum pulmones exhalare desinunt, et tussē aliisque hujuscemodi morbis tentantur: si autem nubilosum coelum caluerit omnia haec mala ingravescent, et pituita laborantes Peripneumonia notha aegrotare solent: dum enim aer calidus crassusque illis obducitur, omnia flaccescunt vasa, et pituita angustias, in quas illabitur, distendit; et inexplicabiles viae sanguinem irruentem tenent: deinde si perfrigida excipiat tempestas, itinera sanguini omnino intercluduntur, et ingravescenti morbo languidi succumbunt. Vere ineunte coelum est dubium atque varians; inde hoc tempore imbecilliores peripneumonicis morbis affliguntur: illos igitur Celsus monet, “ ut caveant meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus, itemque auras fluminum atque stagnorum; minimeque nubilo coelo soli aperiendi se committerent, ne modo frigus, modo calor moveat.”

VISCERA, quae omnia esculenta et potulenta arcentque, et continent, ut ea mutari et concoqui possint, hominibus, qui incidunt facilius in hunc morbum, languent et debilitantur: eosque se cibis ingurgitantes tentat Peripneumonia notha. Stomachus autem et cibis et potionibus expletus atque

que saturatus, neque cogere, neque confundere, neque ea quae accepit ita concoquere potest, ut in omni corpore ad vires fovendas et nutriendas diffundantur : itaque et imbecillioribus pugnandum est contra hunc morbum, habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi potionisque adhibendum, ut reficiantur vires non opprimantur : atque illi etiam, quibus est optimus habitus firmaque corporis constitutio, cibis conferti febricula corripuntur. Valetudo autem sustentatur notitia corporis sui ; et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse ; et continentia in victu omni atque cultu.

CIBUS confectus et coactus, omnisque glutinosae qualitatis expers, per lacteas vias perlabitur ad sanguinis fluvium : siquid autem fecerit moras eunti per cor aut pulmonalem arteriam, coalescentes chyli particulae animae sanguinisque vias praefocant atque claudunt, et peripneumonico morbo illico aegrotant homines : dicit igitur Malpighius, “ Sanissimum quemque hominem si fabis, pis, aliisve farinaceis nimium utatur, sub ipsas coctionis horas “ laborare fugaci quadam Peripneumonia.”

Non solum animos perturbant affectus et appetitus, sed etiam corpora : licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt ; quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Metu perculsi suspiria ex imo ventre trahunt, summa anguntur anxietate, intentis oculis circumspiciunt, pallescunt vultus, et corda perstringit horror,

horror, tota mente atque omnibus artubus contremiscunt, sanguis gelidus formidine diriget, et vox faucibus haeret: ita Livius duos exercitus, dum Horatii et Curiatii ferro dimicabant, sine voce spirituque spectantes, depingit; “Confederant utrinque pro castris duo exercitus; datur
“signum; infestisque armis velut acies terni juvenes concurrunt; ut primo statim concursu concrepuere arma,
“micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque.” Iracundia ardenti sunt multa quae humoris vitalis perturbationis solent esse indicia et vestigia; sanguis enim velocissime incitatur, cor palpitat mobiliter, ruberrimus color in vultu suffunditur, et oculi scintillantes fulgent; vel, ut canit Poeta,

———*ardentis ab ore*

Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis.

Helmontius protulit exemplum, quo exhiberet calamitates ex animi perturbationibus natas: “Optimus civis a quodam ex magnatibus publice opprobrio affectus, tacitus
“premit illatam contumeliam, dum illam ulcisci non poterat; verum mox asthma suboritur, indies ingra-
“vescens toto biennio, tandemque hydropicus periit.” Cum mens trepidat, et commovetur aliquis metu, aut ad humum deducitur moerore gravi, sanguine recedente extenduntur cor et pulmones: quinetiam particulae chyli ex quibus antea coctis et confectis, glutinosa ciborum qualitas discefferat, nunc coalescere, et sibi invicem jungi possunt: flumine sanguinis rapido lenta irascentibus excitatur

pituita, et in arctissima irrumpit itinera, quae nunc obstructa atque obturata sanguinem tenent.

QUI ad inertissimum et desidiosissimum otium se perduxerunt, exsectis quasi nervis, corpora sibi reliquerunt soluta et debilitata: ^{ignavia autem} ~~labor autem~~ minor corpus humidat atque hebetat; desidiosis enim pallescunt vultus, perpetuus corpora habet languor, et pituita insidiosae latens, magnis et insuetis exercitationibus commovetur, aut tepidus humor in venas aestuat, et illabitur in arterias, quae per ductas et directas vias ad pulmones pertinent, et in eas distribuitur. Languori et desidiae dediti, siquando pulmones tum valide contrahantur adspirantes, tum spiritu dilatentur, eodem malo laborant; atque dum exclamant, aut canendo vocem cum contentione edunt, vultus illis rubescit, sanguine suffunduntur oculi, et claudere iter, sanguinique labenti moras facere incipiunt pituita fere inexplicabiles pulmones.

QUI multa pituita scatent, catarrhis crebro vexantur, et obefiori habitu gaudent, ad hunc morbum procliviores sunt: senes autem, et ebrietati dediti, in Peripneumoniam notham facilius incidunt, gravius aegrotant, tristius curantur.

OBESIORIBUS et distillationibus tenuium humorum laborantibus, latet pituita; quae solis tepore, exercitationibus
parum

parum confuetis, aut quoquomodo quidem excitata, in pulmones cito irruit,

Vitalesque vias, et respiramina claudit.

Ebriosi, quorum omnis industria vitae, et vigilandi labor in antelucanis coenis et commestationibus expromitur, in hunc morbum facillime incidunt et gravissime affliguntur: ait enim Sydenhamus; “Liquoribus spirituosus (vini maxime
“spiritui) plus aequo addictos Peripneumonia notha ad-
“greditur: cum enim in huiusmodi hominibus sanguis
“humoribus pituitosis, brumae tempore congestis, fuerit
“oneratus, atque idem ab ineunte vere in novum motum
“cieatur, tussis hanc nata occasionem, mox subingredi-
“tur, qua ministra dicti humores pituitosi in pulmones ir-
“ruunt: quo tempore, si forte aeger nullo vivens conci-
“lio, liquores ejusmodi spirituosos adhuc liberatius hauriat,
“crassesciente jam fere quae tussim excitabat, materia, et
“ab ea praecluduntur pulmonum aditus, et febris omnem
“sanguinis massam depascitur.” Viscera, quae escas con-
ficiunt et concoquunt, quantum habent et roboris et calo-
ris; et quam mirabiliter crebris multisque venis et arteriis,
fibrisque nervosis et musculosis intertextis, et ad cibos ex-
terendos, et tum se adstringendo, tum relaxando ad reli-
quias depellendas, omnis alvus fabricatur et accommodatur? Viscera autem languida non sunt probe affecta ad sua mu-
nera exsequenda; atque ebriosi et viscera, et vasa etiam
sanguinea, tum intenta tum remissa, debilitantur: in cer-
tamen descendentes vino abstinere monet Horatius, pro-
pterea

pterea quod ejus perpotatione vires confenescent et franguntur :

*Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer ; sudavit et alsit ;
Abstinit Venere et Baccho.*

UT notatione digniora sequentia Peripneumoniae nothae signa Medici eligunt ; lassitudinem ; animi hebetudinem ; horrores vagos ; anxietatem ; respirationem difficillimam ; tussim ; obscurioris febris indicia ; pulsum arteriarum neque multum incitatum neque durum ; urinam non multum discrepantem ab ea quam sani reddere solent, aliquando autem ruberrimam ac turbidam, sedimentum nullum deponentem ; sanguinem venaesectione detractum eorum qui pleuritide cruciantur referentem ; inter tussendum vertiginem, capitisque dolores, et omnium quae accepit ventriculus crebras vomitiones ; dolorem omnes thoracis partes affligentem ; sonitumque adstantium auribus ingratum ex pulmonibus emissum.

UT muscoli et ad artuum porrectionem atque contractionem, et ad omnem corporis actionem, et ad vires reficiendas

endas languidum humorem incitando apti sint; sanguis et nervorum spiritus in illos copiose et abundanter ducendi: alterutro autem hebescente, muscoli solvuntur segnitie et torpore: quomodo vero humoribus in illos illapsis se contrahant muscoli, nostrorum ingeniorum acies intueri non potest. In Peripneumonia notha et sanguinem et nervorum spiritum deficere nunc demonstrandum.

INSUPERABILIS pulmonum transitus iter fere sanguini avertit, qui exiguo rivo influit in sinistrum cordis ventriculum, in omni corpore tardissime diffunditur, et vix minimas illabitur in arterias; has autem sanguine distendi, et ad musculorum contractionem, et ad spiritus multitudinem fecernendam, necesse est: itaque et muscoli, cum vis sanguinis defecerit, incipiunt languere et debilitari, tactus hebescere atque auditus, et oculorum acies mentisque praefringi: obstructa autem arteria ad pulmones pertinente, dexter etiam cordis ventriculus sanguinem quem accepit depellere nequit, vena cava turgescit, et jugulares venaeque vertebrales tumentes et cerebri et nervorum mirabilem et tenerrimam fabricam comprimunt; itaque minime mirum nobis videri debet, ingenium hebescere, sensibus obtusiores esse aciem, cibi aviditatem auferri et frigere effoetas in corpore vires.

UT pulmones spiritu inflentur, in illis inest raritas quaedam et assimilis spongiis mollitudo; qui tum se contrahunt adspirantes, tum dilatant, ut via pateat sanguini irruenti expeditissima. Pulmones autem obturati, neque ad spiritum

C

ritum.

ritum hauriendum, neque ad sanguinem cogendum aut conficiendum, neque ad coarctatas arterias explicandas probe sunt affecti: itaque dexter cordis ventriculus, cum transitus pulmonum fit insuperabilis, undique prementem sanguinem repellere non potest; Peripneumonia correpti aegritudine et quadam molestia jactantur; et natura stimulo doloris angorisque excitata, ad malum discutiendum, non sine magno mole, et creberrimo anhelitu nititur. Inde etiam tussis movetur: “* nam aer magna copia inspiratus, “ et aliquamdiu in pulmone retentus, hinc rarefactus, subita explosione, secundum latera vasorum aerei pulmonis decurrit, et averrit omnia quae his lateribus adhaerent; “ atque adeo haec actio est pulmonis vera purgatio.” Sin autem rapidiore sanguinis flumine non abripitur pituita, malum quotidie corroboratur: dicit ergo Sydenhamus, “ Tussim mox subingredi, qua ministra, dicti humores pituitosi in pulmones irruunt, et omnes aditus praecludunt.”

ADOLESCENTES, ut et illi qui in rebus rusticis et duris sunt exercitatissimi, integerrima aetate atque optimo habitu, facilius in Peripneumoniam veram incidunt, et aestu febrique intoleranda jactantur. Sed cum inexplicabiles pulmonum viae teneant sanguinem irruentem, et vera et notha Peripneumonia laborantibus pulsus arteriarum mollis exilisque exploratur: senes autem et desidia dediti, quorum corpora debilitantur, neque cibos concoquere, neque sanguinem confundere aut conficere possunt, ad Peripneumonia notha aegrotandum sunt procliviores; atque gelidus in illis hebet sanguis; et vix existunt quae solent esse.

* Beerhaav. Praelect.

esse indicia febriculae assidue et molestae. Ita dicit Sydenhamus: "Intercepta circulatione, sanguine quasi praefocato, nulla fere praesertim in habitioribus febris indicia sunt; licet hoc accidere etiam possit ob materiae pituitosae copiam, qua horum sanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit affurgere."

URINA ruberrima plerumque indicat corpora febris aestuque intolerabili affligi: Peripneumonia tamen notha laborantes, urinam rubro colore tinctam pellunt: ex chymicis autem patet, colorem urinae oleum solum inducere, et supra dictum est, obesioribus esse proclivitatem ad Peripneumonia notha aegrotandum; propterea quod pingue, aestuante sole, vel exercitationibus parum consuetis solutum, per venas illabatur in arterias, et sanguinis flumine abripitur.

SENSUS, interpretes ac nuntii rerum, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Natura enim minimo doloris stimulo excitata, malum discutere, et quantum potest, sanguinem ocyus movendo, a se repellere nititur; morbo autem non conquiescente, sanguis rapidius inter tussendum diffusus, arterias ab aorta tractas atque profectas, et in omne cerebrum ductas, distendit, et magno dolore afficit. Quanta sit vis irruentis inter tussendum sanguinis, latissime patet ex iis quae in actis medicorum Edinburgensium narrantur: * Puellae enim cerebrum per cicatricem multo ante ductam tussis impetu profunditur. Tactus autem non aequabiliter toto corpore fusus est: pulmones hebetiores

* Tom. 2. pag. 217.

hebetiores phthisi gravissime aegrotanti tabescunt, nec magno lacerantur dolore; atque peripneumonici de torpore sensuque doloris obtusiore, magis quam acerrimis cruciatus moribus conqueruntur.

CUM vesiculae arteriis distentis ita coarctantur, ut spiritum hauriendo non satis se dilatare possint, sonum illum durum atque asperum edunt pulmones.

LICET morbi nascentis sanationem sperare; inveteratum vero malum fit robustius atque aegrius depellitur.

IN prima Peripneumoniae nothae tentatione, neque cutis febrili calore ardet, neque urina pulsusve arteriarum, mortem imponentem indicat: nam cum pulmones nascente malo laborant, aegri tantum debilitate et lassitudine quadam affliguntur: est medici autem periti in eventum periculi animum intendere; nam malum quotidie corroboratur, et pituita in venis latens fomitem morbo subministrat: * “ Omnis enim liquor totius corporis, quo tempore distributus per omnes partes, semel circuitum absolvat per cunctas, eo tempore totus semel transit per solos pulmones; ideoque et humor omnis vitalis totus quantus, transit per pulmones, dum per alia viscera tantum certa portio transfluit.” Itaque ingravescit morbus, viscera vitalia vehementius et gravius aegrotant, et vita, ut vis flammae, multitudine aquae opprimitur.

PERI-

* Boerhaav. Praelect.

PERIPNEUMONIA notha correpti sanantur, sanguinem e vena hiante pleno rivo detrahendo; medicamenta, quae vomitiones concitant, adhibendo; vesicantia applicando; remedia dando diluentia, laxantia, resolventia, levissimeque aperientia; balnea vaporis emollientia, resolventia, toto corpori pulmonibus praecipue applicando; clysmata blandissima atque purgantia, aptis intervallis iterando; paululum cibi mitissimi iteratis adhibendo vicibus; cum morbus se remiserit, medicamentis leniter attenuantibus utendo.

MEDICO diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus ejus cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis, et natura corporis cognoscenda est; nam imbecillioribus, qui sunt ad hunc morbum procliviores, iterata venaesectio vires omnino conficit, et praebet materiam morbo; itaque et Peripneumonia notha aegri multitudinem sanguinis eliciendo primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque affliguntur. Cum Sydenhamus curationi hujus morbi animum intendebat, experiendo didicit, “ phlebotomiam saepe repetitam
“ febricitantium iis qui crassiori essent corporis habitu,
“ praesertim aetatis florem praetergressis, pessime cessisse.”

Cum nascente malo affici incipiunt pulmones, prius-

D

quam

quam autem pituita gravissime laborant, sanguis ex brachio lecto affixi, ne animi defectione increascit morbus, eliciendus est; deinde medicamentum vomitiones leniter concitans adhibendum: nullis vero remediis magis relevantur. Peripneumonia notha aegri, quam vesicatoriis cruribus femoribusque applicatis; incitant enim vesicantia languidum gelidumque sanguinem, et resolvunt humores glutinosos.

PITUITA, de qua, quam planissime potui, paucis absolvi, aqua calida facile resolvitur; ideoque vapores, suffitus, et medicamenta diluentia, quippe quae pituitam diluunt, vasaque pulmonum laxant, ad subveniendum Peripneumonia notha laborantibus prorsum: primum autem magnopere providendum est, ne iis remediis plus nimio utendo, vires languescant, et aegris ipsa obsint medicamenta. Resolventia etiam et expectorantia, scil. sp. mindereri, tartar. regenerat. lac ammon. prospere cessere; venulae enim morbo languidae stimulo medicinae illis admoto erigunt se, et diluentia avidius absorbent: nulla autem remedia aegris rectius dantur, quam oxymel. scillit. vel syrup. scillit. quae medicamenta alvum leniter subducunt.

CLYSMATA et medicamenta alvi proluviem excitantia caute adhibenda sunt. Monet Boerhaavius, "clysmata resolventia injicienda esse, donec respiratio facilior, et pulsus auctum robur pulmones levare docuerint: hoc autem facto illis abstinendum esse."

Cum morbus se remiserit, medicamentis attenuantibus corpori subveniendum est : iis enim remediis, et a vetere morbo et a novis tentationibus, valetudo confirmatur : utendum etiam moderato cultu atque victu ; sedandae et restringendae animi perturbationes ; firmanda modicis exercitationibus corpora : quibus autem studiis possunt magis refici vires vel restringui animi perturbationes, quam rebus rusticis ? quae laetae sunt non solum pratis et segetibus, hortis et pomariis, sed etiam pecudum pastu, apium examinibus, et florum omnium varietate.

Fastidiosam (ait Horatius) desere copiam, et

Molem propinquam nubibus arduis :

Omitte mirari beatae

Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices,

Mundaeque parvo sub lare pauperum

Coenae, sine aulaeis et ostro,

Solicitam explicuere frontem.

F I N I S.

